

M. FRANCISCI VVOKENII,

Regii Neo-Sed: Gymn: Con-Rect:

CONSIDERATIO  
REFORMATIONIS.

ECCLESIAE VETERIS TESTAMENTI,

a

MOSE & SAMUELE.

Susceptæ,

*Ad illustrationem locorum*

Exodi XXXII, ac 1. Sam: II, III.

atque

REFORMATIONIS B. LUTHERI,

exhibita.

*Qua simul*

ad

Festivitatem Jobeleanam,

*in Gymnasio Neo-Sedinensi Regio,*

ACTU ORATORIO.

Die LVtheranorVM seCVLarI post-festo,

1. Novembris,

celebrandam,

*Ecclesiae repurgatae & bonarum litterarum*

PATRONOS & FAUTORES,

Officiosissime invitat.

LIPSIÆ,

Prostat apud HEREDES CÖRNERIANOS.

Coll. diss. A  
238, 9

*Diss. A. 238 (9)*

18.

*1771.*



**E**cclēsiā, quæ veram religionem vel missam planè fecit, vel tetrīs falsorum dogmatum, nefandisve facinoribus conspurcatam reliquit, Deus vel plane loco movet, vel sordes ejusdem eluere, & eandem pristinæ puritati restituere solet. Sacra Historia fallere nescia, luculentis hoc comprobat documentis. In ipsis quasi Judaicæ Ecclesiæ incunabulis hujus rei exemplum oppido clarum se offert. Dei amicus, Moses, qui omnes Prophetas, reliquosque Scriptores Sacros, secundum Judicium Judæorum, superat, genti nondum penitus adultæ, diuturniorem justo moram neçtere videbatur, mirifico & gratioso Dei colloquio retentus. Populus moræ impatiens, pernicioſa agitât consilia, turmatim Mosis fratrem, ac quondam interpretem, summi Sacerdotii Candidatum, Aharonem, invadit, novos sibi Deos, & pudendam Idololatriam à veri cultus Ministro, stolido ausu, exigens, & ne quidem propius se admovebat, sed **יְקַהֵל הָעָם עַל-אַהֲרֹן** ita undiqve collectus imminebat Aharoni, ac si eundem supprimere penitus ac interimere vellet. Instat, urget propositum, ut ab homine Deum extorqueat, surge, fac nobis Deum, qui nos præcedat. Populus stultus stultum sibi deposcit Numen cujus cuncti actus Divini unica *ὁδηγεία* absolvuntur, quasi is, qui alicui se hodegum præbet, Numinis ad instar colendus veniret. Aharon populi forsan minas expavescens, vitæ potius suæ, quam Deo, populove consulit. Sive enim pia, ut putant, fraude, vagam Populi mentem ad pristini consilii pœnitentiam pellicere voluerit, (*Conf. Cel. Dn. Hermanni von der Hardt Ephemerid. Philolog. p. m. 116. seqq.*) sive, quod vix credibile, de veritate revelationum Mosaicarum, per insignem Diaboli excoëcationem, desperaverit; suppetias tamen, minimum obliquè fert populo. Injungit populo profanus Sacerdos, ut quicquid auri auribus decoris ergo circumgerant, sibi ipsis evellant, & sublestæ *θεογονίας* offerant. Hæc populi votorum summa est. Mosen enim, ut erat, existimabant hominem, ut insigni eos laborasse sœcordia, merito diceres, qui columnæ nubis & ignis, illius Filii Dei præsentissimi Symboli, ita fuerint obliti, ut viæ tantum ducem spectaverint. Non aliter eos accipio, cum ita de se loquuntur:

**Nam כי־זָה מֹשֶׁה הָאִישׁ אֲשֶׁר הָעַלָּנוּ מֵאֶרֶץ מִצְרַיִם לֹא יָדַעְנוּ מָה הָיָה לוֹ:**

hic





hic Moses erat tantum modo homo, qui nos ex terra Ægyptiaca deduxit, nescimus itaque, quid ipsi contigerit, anne ardente illa flamma absumptus, an vero hac mediante ad Cœlos assumptus fuerit, nunquam forsitan rediturus. Quia homo fuit, nihil humani ab ipso fuit alienum. Ita homines Spiritu carentes inepta sua colligunt Logica. Hinc lætum ipsis est, quod est consensu Aharonis reportant, Diabolo sane seducti; quamvis nobis quoque illud, quicquid est fabulæ, quod de apparitione Cacadæmonis fabulantur Judæi, minime sit ad palatum; licet non tantum *Raschi* & alii pro vero id assumant, id quod *Baal Hatturim* ex modo Caballistico, *Gematria* dicto, comprobare nititur, cum scribit:

בנימט' שהראה להם השטן מטתי של משה רבינו h. e. per *Gematriam* constat, quod *Satan* apparuerit Populo, in specie Magistri nostri Mosis, quod nempe Moses ad Cœlum sublatus fuerit. Quod vero, tacente Scriptura absit, ut dicamus. Quicquid sit, populus in conficiendo vitulo strenuè laborat, ut hoc sui ipsius Iumento se ipsum perdat. Non solum

caput vituli, sed עגל מסכה integer vitulus exsculptur, ut valedicamus quibusdam Patribus, & inter hos *Lactantio*, qui *L. 4. C. 10. p. m. 235.* aureum tantum bovis caput supponit, *Conf. quoque B. Pfeiffer. Dub. Vexat: h. l.* Duo interim insignia quoad hunc vitulum notare licet fabularum monstra. Alterum est, quod vitulus hic cum boatu ex igne prodierit, à Diabolo nempe ita obsessus. Legitur hæc fabula in *Pirke Elieser p. m. 121.* hoc modo: *Invenit autem Aaron inter has in aures lamellam auream, cui inscriptum erat, nomen sanctum, eique insculpta erat figura vituli, atque istam tantum abiecit in fornacem ignitam, sicuti dicitur: Tradiderunt*

mibi, non hic scriptum est וואשליכס & abjeci illas (inaures) sed וואשליכרהו & abjecerunt illud in ignem. Prodiit autem (inde) vitulus mugiens, eumque intuiti sunt Israelitæ. R. Juda inquit: *Sammael* in illum (vitulum) ingressus est, atque boavit, ut seduceret Israelitas. hinc illud: *Novit bos possessorem suum. Conf. Vorst. in h. l. p. 240.* Utrumque falli clarum est. Alterum ejusdem est monetæ, quod deaurata acceperint labia, quicunque osculaverunt, (h. e. coluerunt. *Conf. Psalm. II. 11. & c.*) vitulum, quod tum demum fieri potuit, cum aurum quasi potabile factum fuit. Nos hac vice de Aharone non sumus solliciti, an subinde tentaverit, ab



hoc falso cultu, ad verum & pristinum revocare Judæos, an vesania eò adductus fuerit, Deum per hanc imaginem legitimè posse coli. Quod posterius *B. Brentio* nostro *in b. l.* placet, cujus verba digna sunt, quæ hic legantur, scribit *fol. 147 a*: *Postremo quod fecit Aharon, non fecit animo peccandi, sed fecit optima, ut videbatur, opinione videlicet retinendi Populum in officio, & ad cultum Dei assuefaciendi, adeoque Deum & ipsum colendi, nihilominus, quod fecit, tam horribile peccatum fuit, ut ab impiissima Idololatria, defectione a vero Deo nihil distet. Quare ad bonas nostras opiniones, semper expavescamus, nec consentiamus in eas, nisi prius exploratas ad βασανον verbi Dei, re ipsa comperiamus, cum verbo Dei convenire.* Cur pecculiariter vitulum, & non effigiem hominis, vel potius columnæ nubis & ignis, efformaverit Aharon, hic loci inquirere nimis foret longum. Quoniam non agnum, sed vitulum fecit, non firmiter ei sententiæ possum subscribere, ad τὸν ἀμνὸν τῆς Θεῆς τὸν ἀίροντα τὴν ἀμαρτίαν τῆς κόσμου *Job. I. 36.* Aharonem respexisse; & ideo in ea confirmor, quod meas *Spenceriana* ac *Marschaniana* quodammodo ei hæserit, oblique per paulisper immutatum cultum Ægyptiacum populum in vero Dei cultu retineri posse, simulque per externas imagines verum posse adorari Deum, Aharonem opinatum fuisse, ad eum ferè modum quemadmodum (proh dolor!) in Papisimo credi assolet. Ita hæctenus sentio, donec meliora porrigenti, herbam lætus tradere queam. His ita facinoribus Ecclesia Israelitica Deum ad iram provocabat, effigiemque nobis exhibet, Ecclesiæ cujusvis in Idololatriam crassio rem prolapsæ, cuius Ecclesiam Papæam, maximè etiam ante Reformationem spectatum, ream agere suscipit *B. Lyserus in pecul. Disput. à Wellero* defensa. Deus vero Ecclesiam Israeliticam non penitus abjecit, sed & misericordia sua, & precibus Mosis tactus, ipsum Mosen excitavit, qui Ecclesiæ adeo deperditæ Reformationem in se suscipiat, Ipse Deus compellit Mosen, ut descendat ex monte, nec tamen Moses, ne quidem singulari promissione divina, de incremento domus Mosaicæ captus, prius descendit, quam præcibus ardentissimis Deum ad Misericordiam perduxisset. Descendens vero Idololatroque cantu non frustra exterritus, heroico plane Spiritu efferbuit, & quod omnis mirabitur ætas, tabulas legis, ipsius Dei manuscriptas, in terram projecit, penitusque fregit. Qui vero ad suos delatus Aharonem, atque populum minis partim, partim poenis affecerit, sacer textus liquido ostendit. Eos qui Deo adhuc vero adhærebant, Levitas, infenso cum gladio in fratres immittit, ut, ceu Judex à Deo



constitutus, fontes debita poena afficiat, & in ipso paciscendi actu relabentes propriis damnis eò pelliceat, ut cautius agere in posterum discant. Et ita tandem non ad pristinos ritus, quos à majoribus acceperant, sed ad ipsam legem divinam, ceu unicum & firmum fidei fundamentum, seria intercedente poenitentia, redire, eos compulit. Nos hic quidem exemplum veræ Reformationis, & aliquod quasi testimonium Reformationis *B. Lutheri* cernimus. Si alia nobis argumenta in propatulo, ut sunt non essent, quibus inculcationem quorundam retunderemus, cum nobis ogganiunt, quod *Lutherus corpus Juris Canonici* Vulcano tradiderit: dimittere eos possemus, quod Moses in Reformatione sua ausus fuerit, tabulas ab ipso Deo factas & conscriptas heroico spiritu frangere. Sed hoc non eligemus. Interim clarissimè retunduntur Papæi, qui Luthero vitio dant, quod ad Scripturas potius, quam ad traditiones in Reformatione sua attenderit, quoniam ipse Moses non ad antiquos ritus, sed vocem & legem divinam populum redire compulit. Hæc non quidem sola, maximè tamen insignis Reformatio Ecclesiæ est, quam Moses suscepit, quoniam, quoties alias populum per poenitentiam ad Deum duxit, non omnem cultum abjecerunt. Et ita quoque alii viri divini in reformanda Ecclesia Dei, quilibet suo tempore & modo, se sollicitos præbuerunt; quorum Catalogum ex omnibus libris historicis facili negotio quilibet sibi colligere potest. Referrî huc quam maxime quoque meretur *Samuel* Prophetæ. Antequam enim hic toti mundo se Prophetam præberet, misera erat Ecclesiæ facies. Sacerdotum Summus (*Conf. R. D. Gans in Zemasch David p. m. 22.*) *Eli*, cum ingravescente Senectute colluctabatur, & Patrem nimis indulgentem nefariis filiis se præbebat. Filii ejus omnem fere reverentiam Dei à se removerant, & vilipendebant legem divinam, quoties per Ministrum suum, contra legem divinam, ab Holocausta offerentibus injustum extorquebant, quo id effecerunt, ut homines Sacrificia blasphemarent. Addebant vero Filii *Eli* hisce facinoribus adhuc plura & majora, non contenti, quod sint בני בליעל Filii Diaboli, hominesve non frugi, & quod verum Deum non ut debuissent, verè cognoverint, & ita quod huic connexum est, non verè coluerint: Sed addit Spiritus S. aliud prægrande scelus. v. 22.

יִשְׁכְּבֵן אֶת הַנָּשִׁים הַצְּבֹאוֹת פֶּתַח אֹהֶל מוֹעֵד: quod stus  
 praverint mulieres ministeria obeuntes in ostio Sanctuarii.



Quæ fuerint hæc foeminae **הַצְּבֵאוֹת** non sunt Eruditorum digiti æquales. Occurrit eadem hæc loqvendi ratio *Exod. XXXVIII. 8.* ubi tamen vox **נְשִׁים** non occurrit, & hinc ex sententia *summi Varenii in Decad: ad eum locum p. 430.* alia subest sententia, *Inquirendum tamen inquit, ubi mulierum mentio fiat in Textu, & annon illud במראת הצבאות rectius reddatur: Speculis magno numero congregatis, quæ coacerbaverant ante tentorium conventus.* Hoc vero loco ipsæ mulieres dicuntur **צְבֵאוֹת**; & tamen Hebræi foeminis in templo non concedunt Ministerium aliquod singulare. Audiamus magnum Historiæ Judaicæ scrutatorem, *D. Dasovium in Disp. de Vidua Hebræa p. 14.* ita scribentem: *Constans Hebræorum est sententia, nullum in templo ministerium, viducarum, imo nec aliarum peragi opera foeminarum potuisse.* Et post pauca suam sententiam ita exponit. *Nec. 1. Sam. II, 22. ministrasse foeminas coram Tabernaculo asferitur in Hebræo textu, sed dicitur, filios Eli, prout erant mala, nota homines, consuevisse cum foeminis, quæ ante ostium, tabernaculi commorabantur. i. e. cum novellis puerperis, quæ ante ostium, tabernaculi expectabant tempus, quo offerre sua sacrificia turturum columbarumque possent.* Quando autem in versione Germanica legitur verbum **דינעתן** Illud de cultu Deo sacrificiis exhibendo, non vero de ministerio in templo peragendo accipi debet. *R. Aben Esra ad locum Exodi, secundum hanc sententiam, annotat, quod hæc mulieres tantum congregatæ fuerint להתפלל ולשמוע דברי המצוה והוא אשר צבאו פתח מעד כי היו רבות: h. e., ut orent, & audiant verba præceptorum, & dicuntur hæc turmatim convenisse ad tentorium conventus quoniam magna earum fuit copia.* Sententiam vero illam, quod hæc puerpuræ fuerint, totidem verbis inculcat *R. D. Kimchi in b. l.*, quod more suo repetit *R. Salomon ben Melech: הנשים היולדות הבאות לשולה בקרבן כמו שכתוב בתורה: i. e. sunt mulieres puerpuræ, quæ venerunt Schiluntem cum oblationibus suis, quemadmodum scriptum est in lege.* Sive vero has solas, sive omnes foeminas adorationis ergo convenientes ad Tentorium conventus, quemadmodum exponit *Targum*, intelligas: res eodem recidet, quousque alienas, ni fallor expositiones Rabbiorum, *Raschii, Rabagii &c.* spernis, quod non furtivas cum illis nuptias fecerint. Illis ex *Pontificiis*, qui hic *Monialium* quasi aliquam Speciem se invenisse opinantur, rem suam habere jubemus, cum forte hic sint habituri effigiem impiorum conven-

ven-



ventuum Monachorum, & Monialium. Et si ita volunt, Eli ipsis erit Pontifex Romanus, senio plane, confectus, & hinc ad munia sua obeunda ineptus, quales ante Lutheri tempora fuisse, ipsemet Papæ negare nequeunt. Et quemadmodum Verbum Dei, rarum tempore Eli mediate fuit prædicatum, immediata revelatione ad tempus pariter cessante: ita in Seculis ante Lutherum Barbaris, auro rarius erat verbum Dei, legitime prædicatum. Tali tam pestifero tempore, ut in codice sacro describitur, Samueli, nil tale cogitanti, Reformatio Ecclesiæ divinitus demandatur. Auditur vox Dei, ex ipso Sancto Sanctorum (id quod ostendo in *Pietat. mea critica*, cum ex hoc loco *Synchysin* proscribo) quæ, quia Samueli adhuc ignota, ab ipso cum voce Eli confunditur, donec Eli, divinum quid subesse ratus, certiora edoceret Samuelem. Quo facto, cum Deus ex Sancto Sanctorum proprius quasi accideret, Samuelem Reformatorem instituit, & præsentissimo suo auxilio subinde confirmavit, ut totus Israel eum fidum Dei Prophetam esse cognosceret. Ingenti enim Zelo Samuel suscepit verbum Dei prædicare, & ita verum illud medium conversionis, quo tantum promovetur, abundanter exhibuit Israelitis, quo ecclesiam per somnolentiam deperditam, excitaret, & ita reformaret eam, quæ non penitus, sed tantum ex parte, vero & sincero Dei cultui dixerat vale. Si Papæ Ecclesiam suam cum Ecclesia in *μωσχολατρίαν* prolapsa, conferri recusabunt. ad hanc tamen forsitan classem reduci patientur, consideratam in Barbarie, ante Reformationem nostram. Sit ita. Quantum reformatio Lutheri, non nostræ tantum Ecclesiæ, sed & Pontificiæ profuerit, & quanta incrementa verbum Dei, & eruditio omnis generis, post eam ceperit, cordatiores quoque Pontificii non ignorabunt. Quemadmodum itaque Samuel in signum adjutorii divini lapidem adjutorii posuit cum viderit, quousque Deus hactenus adjutorem se præbuisset, latus canens *עַרְ הַנֶּה עִרְנוּ יְהוָה* quod Lutherus eleganter vertit, **Bis hieher hat uns der HERR geholfen**: Ita nos quoque Lutherani hoc anno seculari secundo læti exclamamus. *Huc usque Dominus nos juvit*. Ut hujus vero gaudii nostri documentum aliquod, quamvis humile, demus: Me autore ac Svasore Gymnasii nostri studiosi nonnulli publico actu Oratorio in conspectum Fautorum prodibunt, & *Orationes*, sub censura mea proprio Marte à se elaboratas, ex firma recetabunt memoria, hoc quidem ordine, quem SORS ipsis dedit: EWAL-



*Ewaldus Georgius à Kleist*, Eqves Pomeranus, *Oratione latina* barbariem Seculorum ante Reformationem Lutheri, quoad singula eruditionis Capita pensitabit.

*Jacobus Reinholdus Hencke*, Publicio - Pomeranus, *Oratione vernacula*, idem quidem Thema, alia tamen penitus ratione pertractabit.

*Johannes Christianus Weise*, Slava - Pomeranus *Latine* tetricam Ecclesie Papæ ante Reformationem Lutheri faciem Eruditorum obtutui sistet.

*Arnoldus Bogislaus Müllerus*, Rugio-Sylvanus, *Oratione Germanica* ejusdem Ecclesie dedecora præmonstrabit.

*Otto Casimirus à Versen*, Eqves Pomeranus singularem gratiam Dei in Reformatione Lutheri *Romana* perscensebit *lingua*.

*Fridericus Christophorus à Versen*, Eqves Pomeranus, *Teutonice* vitam Lutheri recitabit.

*David Christianus Bolduan*, Neo - Sedino - Pomeranus, *lingua ex Latio* mutuo accepta eruditionis post Reformationem incrementa trutinabit, per quævis eundo capita.

*Philippus Wilhelmus à Kleist*, Eqves Pomeranus, de incremento literario per duo hæc secula libera *Dialecto nativa* Symbolum suam addet.

His ita perorantibus se adjunxerunt, alieno licet filo agentes, Prologus, *Ernestus Ludovicus à Lettow*, Eqves Pomeranus.

Epilogus, *Johaunes Daniel Bûge*, Neo-Sedino Pomeranus.

Ea proinde, quæ fas est, ratione, *Patronos, Fautoresque* bonarum literarum invitamus, ut secularem Musarum nostrarum lætitiâ honorifica præsentia sua condecorare velint. Quod beneficium quilibet nostrum, oblata occasione, pro virili grata minimum mente referre, laborabit. Deus interim Veritatem Religionis nostræ fartam semper tectamque conservet, contra omnes hostium insultus, ad mundi usque

**F I N E M!**

Coll. diss. A. 238, misc. 9